



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

Januarius Abbas LX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

SÆCULUM X.

*Ab Anno 1715. inchoatum numerat Abbates duos,
Januarium & Christophorum.*

JANUARIUS ABBAS LX.

Post gesta laudabiliter varia officia, Sacrosanctæ
Theologiæ Lectoris, Cancellariæ Directoris,
Magistri Novitiorum, Prioris, & triennio Paro-
chi in Stadel-Schwartzach summo omnium gau-
dio Abbas electus est^o Januarius dictus Schwab,
Gerlocuriâ oriundus, electus die 4. Maji a. 1717.
confirmante Reverendis. ac Celsis. Principe Jo-
anne Philippo, Reverendissimo Domino Bernar-
do Episcopo Chrysopolitano, Reverendissimi ac
Celsissimi Episcopi Wirceburgensis Suffraganeo
Neo-Electum solemniter benedicente. Regimen
suum auspicabatur à sedula animorum & ad pie-
tatem, & ad eruditionem cultura; Disciplinæ re-
ligiosæ vigorem restaurando, & ad Universitatem
Wirceburgensem multos ablegando, qui præter
insignem doctrinam Doctorum etiam honores
retulerunt: tum ad absolvendam Monasterii fabri-
cam, quæ ab Augustino p. m. Abbate cœpta, per
annos quatuordecim omissa erat, curam suam
con-

convertens primam manum operi 8. Martii anno 1718. adjecit, octo annorum spatio tam feliciter perfecto, ut interim nec à sua in pauperes liberalitate, quibus ultra centum frumenti maldera erogabat, nec à laudabili hospites benignè accipiendi studio remitteret. Accidit tum 36. humatorum ibi Abbatum & Religiosorum corpora, & solidos duos aureos anno 1691. cusos, insignia Moguntinum & Trevirense referentes inveniri; ex quo plebs fingendi occasionem arripuit, ingentem thesaurum à Januario inventum fuisse. Lætatus tam felici successu Januarius ad extruendam splendidissimè novam Ecclesiam animum ad-jicere cœpit, à quo proposito licèt sumptuum expendendorum magnitudo omnes deterreret, Januarius absterreri non potuit. Aggressus igitur magno animo tantum opus, Deo propitio Ecclesiam excitavit amplitudine suâ, altarium frequentiam artis & sculptoriæ & pictoriæ raritate augustissimis Basilicis jure comparandam; in qua ipse anno 1741. primo Missæ sacrificio peracto editæ Professionis Jubilæum celebravit; Ita votorum suorum compos factus dissolvi optans & esse cum Christo, anno Christi 1742. ætatis 74. Religiosæ Professionis 51. piè defunctus.

CHRI.